I.S. DAVIDSOHN: (P.)

Historia Sectionis

Caesareae, 1827.

Suppl/P

HISTORIA SECTIONIS CAESAREAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

PRO SUMMIS

IN

MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE IMPETRANDIS

DIE XXVI. OCTOBRIS MDCCCXXVII

H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ISRAEL SAMUEL DAVIDSOHN

GEDANENSIS

CONTRA OPPONENTES AMICOS

GUSTAVUM DINTER

GOERNITZIENSEM

ET

LUDOVICUM SALINGER

GEDANENSEM

MEDICINAE CULTORES.

REGIMONTII PRUSSORUM

TYPIS ACADEMICIS HARTUNGIANIS.

Viro doctissimo, collegae [illegible]
amico sincerrimo [illegible]
Dr. Sachs.

CAESARIAN SECTION

VIRO

ILLUSTRISSIMO, EXPERIENTISSIMO, DOCTISSIMO

ERN. LUDOV. AUG. HENNE

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI; MEDICINAE ARTISQUE OBSTETRICIAE PROFESSORI PUBLICO EXTRAORDINARIO; MAJOCOMII REGII REGIMONTANI DIRECTORI; COLLEGII MEDICI ASSESSORI ETC. ETC.

PRAECEPTORI ET FAUTORI PIE COLENDO

HASCE PAGELLAS

OB INNUMERA IN SE COLLATA BENEVOLENTIAE SIGNA

GRATO INTIMOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Prooemium.

Ut disciplinam vel hujus partem aliquam diligenter accurateque judicare queamus, omnino ejus et originem et fata recte cognoscere debemus; praesertim in ea rerum scientia, quam historia tantum evolvenda monumentisque perscrutandis mente amplecti possumus. Quodsi igitur multa morborum operationumque genera perscripta habemus, ita ut illorum scientiam erudire atque amplificare in nostra sit potestate; sectionis etiam caesareae, quae operatio, etsi in gravissimarum numerum referenda, ad nunc tamen temporis nondum historice tractata est, sane descriptio desiderari videatur. — Quamquam me hocce opusculum in animo habentem illustrare difficultates haudquaquam latuerunt, quae sectionis caesareae jam super annos trecentos notae historia perscribenda offeruntur; quamquam mihi alia, quippe quorum multitudinem praebeat ars medica, paullo fortasse faciliora argumenta commendata sunt elaboranda: haec tamen operatio sic me allexit ut alii argumento simili amore similique studio operam me navaturum fuisse vix crediderim. Profiteor enim, quod se mulieres huic operationi subjicere non dubitant, quod fere omnes, (inter octoginta enim

unam tantum recusantem reperi memoratam) dummodo fore ut partus servetur vivus. spes adsit, magna cum voluptate suam vitam profundunt, hoc me praecipue stimulasse, ut hujus, quae jam multas uxores teneras morte liberavit, operationis historiam perscriberem.

Etiamsi autem fontibus, qui omnino ad historias tractandas necessarii sunt non semper uti possem, quum regia nostra bibliotheca clausa sit neque in bibliotheca Wallenrodtiana tam multos invenirem, quam et optavi et speravi: contigit mihi tamen pro viribus quaerenti, ut privatis bibliothecis uti possem, quarum possessoribus inque primis professori praenobilissimo Henne intimo animo gratias ago quam maximas.

Sic igitur hocce opusculum, in quo quemadmodum sectio caesarea inde ab origine usque ad nostram aetatem se habuerit, quoad ejus fieri potuit, narratum est, magna cum reverentia trado dijudicandum.

Si ad originem sectionis caesareae hujusque fata respicimus, quae cum earum, quibus adhibitis illa operatio supervacanea esse putabatur, novarum operationum inventio, tum diversae opiniones genuerunt quae diversis temporibus vigentes, illam nunc laudibus efferebant, nunc fastidiose recusabant: jure fortasse dici potest, paucas admodum esse operationes, quae parem atque illa habuerint sortem.

Quae illa operatio quum quomodo in mortuis se habuerit scire velimus, in antiquissima tempora

quin etiam in aetatem fabulosam historia adducimur. Sic Apollo Aesculapium, quem e Coronide procreavit, quum haec poenarum perfidiae dandarum causa in rogo arderet, ex ventre excidisse dicitur. Item Lycas, Virgilio [1]) auctore, simili modo genitus esse putatur, et denique etiam ille, qui vocatur Hermes Trismegistus in eorum numerum referri potest, qui tam raro modo primam lucem adspexerunt. Romanis porro non modo excisio infantium ex iis, quae gravidae mortuae sunt, matribus nota fuit, verum etiam lex regia a Numa Pompilio lata nullam, quae praegnans vita decessit, mulierem prius sepeliri jussit, quam ventre dissecto infantis servandi periculum fieret. „Mulier, lex illa inquit, quae praegnans mortua, ne humator, antequam partus ejus excidatur, quei secus faxit, spei animantis cum gravida occisae reus estod“ Atque eo, qui supra dictus est, modo, secundum Plinii historici testimonium Scipio Africanus, Manilius, Caeso quidam primusque generis sui Caesar geniti esse dicuntur. Qui Caesar non modo ad nomen illius, quae vocatur sectio caesarea, operationis occassionem dedit, sed etiam, quum locus ille apud Plinium falso intelligeretur, ad opinionem Julium Caesarem, primum illum regum Romanorum cognomen Caesaris adeptorum sectione caesarea natum esse. Hanc rem autem sic non habuisse mox intelligi licebit, loco illo accurate perspecto, qui hic est [2]): „Auspicatius enecta parente gignuntur. Sicut Scipio Africanus prior natus primusque Caesarum a caeso matris utero dic-

1) Aeneid. lib. X. V. 5.
2) Plin. hist. nat. L. VII. c. VII.

tus, qua de causa et Caesones appellati. Simili modo natus est Manilius, qui Carthaginem cum exercitu intravit." Offensionem enim hoc loco praebuerunt verba illa: primusque Caesarum, quum hoc loco primum illorum, quibus cognomen Caesaris dari solebat, regum intelligi, interpraetatores falso putarent neque scirent Plinium intelligi voluisse primum ex familia Caesarum, qui praeterea illi prorsus ignotus fuit ignobilisque.

Praeterea autem quomodo fieri potuit, ut Julius Caesar, princeps ille, a caeso matris utero nomen acciperet, quum jam et ejus pater et avus Caesares appellarentur, quo accedit, quod secundum Suetonem Caesaris principis mater adhuc vixit, quum hic in Britannia bellum gereret?

Sic etiam ao. 920. p. Ch. n. Burcardius comes de Buchhorn posteaque sanctae Gallenae abbas, ex matre mortua excisus est, qua de causa, quum non gigneretur, Ingeniti nomen accepit.

Quanquam igitur haec de mortuo inferendo lex multorum vitam conservavit, ex parte tamen paulatim in eam venit ablivionem, ut ao. 1139 p. Ch. n. in Concilio Lateranico simulque in pluribus aliis eam redintegrari necesse esset. Etsi autem haec lex ab omnibus fere eruditis nationibus accepta observabatur, quin etiam usque ad nunc temporis integra sustenta est, exempla tamen non desunt, mulieres jam mortuas edidisse partum, quum legi illi non subjicerentur. Attamen notandum est, Osianderum [3]) illam, quae supra dicta est, legem apud

---

3) Handbuch der Entbindungsk. Tüb. 1821. 8. Bd. 2. p. 142.

omnes, qui antiquis temporibus vixerunt populos eruditos ratam reperire, Judaeos autem solos ejus expertes putare; negat enim, apud hos ullum exstare vestigium alicujus veteris legis, quae partus conservare jubeat. In eorum autem, qui inscribuntur Talmud, librorum aliquo loco [4]) Nachmannus quidam, qui initio tertii saeculi p. Ch. medicus fuit, tali modo dicit: Si mulier die sabbati inter parturiendum moreretur, ut cultro adhibito venter ejus dissecaretur atque partus extraheretur. Et Maimonides [5]), qui Cordubae, urbe Hispaniae ao 1135 p. Ch. natus et ipse fuit medicus hoc modo dicit: Si mulier inter parturiendum vitam desereret, ut cultro adhibito venter ejus dissecaretur atque partus extraheretur, quum fortasse adhuc vivus gigni posset. Hanc auten sectionem caesaream, ut Mansfeldius [6]) argumentari vult, in Talmud memoratam esse talem, qualis in mulieribus adhuc vivis susciperetur, ne unum quidem exemplum reperitur; disserte enim Talmud, si molestiae insint, quam gravissimae in partu edendo infantis vivi perforationem jubet [7]) his verbis: Si cum muliere inter parturiendum male ageretur, ut infans discerperetur membratimque exciperetur, quum matris vitam servare praestaret quam infantis. Ceteroquin ille Mansfeldii supra citatus liber a Fulda [8]) refutatus est tam sa-

4) Baba Bathra fol. 142.
5) Hilchoth Sabbath §. 135.
6) Ueb. d. Alter des Bauch- und Gebärmutterschnitts etc. von Dr. Mansfeld. Braunschweig 1814. 8.
7) Oheloth Cap. 7. Mischna 6
8) Beitrag zur Geschichte des Kayserschnitts etc. von Dr. L. Fulda in Elias v. Siebolds Journal Bd. 6. p. 161.

tis, ut sectionem caesaream in vivis susceptam esse in Talmud argumentum requirere, nemini fortasse in mentem venturum sit.

De hac autem operatione in vivis suscepta Osiander[9]) haec dicit: Ante decimum sextum saeculum p. Ch. viventis alicujus gravidae, quae propter angusta genitalia vel alia impedimenta partum edere non posset, ventrem dissectum esse, ut et mater et partus servarentur, ne unum quidem exemplum exstare. Et cum Osiandero consentiunt Stein[10]), Loder[11]), Choulant[12]) plurimique alii, quibus omnibus operatio illa a Jacobo Nuffero suscepta prima in vivis tentata sectio caesarea esse videtur. Quo de Nuffero Franciscus Roussetus haec narrat: Quum circa annum salutis 1500 Elisabetha Alespachin, Jacobi Nufferi orchotomi, in pago Siegershausen uxor, primo utero gestaret, et jam doloribus partus per aliquot dies divexaretur, ad se obstetrices tredecim, et aliquot lithotomos vocavit, a quibus, frustra tamen, opem sperabat, quum nec fetus excludi, nec etiam dolores mitigari possent. Quare jam desperata salute, maritus uxori consilium suum communicat; quod si consentiret, velle se, quod speraret, annuente domino felicem successum in ipsa suam experiri industriam. Annuente ergo ipsa ad Archipraesidem adiit, rem uti se habeat, exposuit, cona-

---

9) l. c. §. 150.
10) Prakt. Anleitung zur Geburtshülfe. Marburg. 1797. 8. p. 251.
11) Journal f. Chirg. Geburtshülfe etc. Bd. 2. Jena 1800. p. 765. Note.
12) Tafeln zur Geschichte der Medizin etc. Leipz. 1822. Tafel VII. p. 27.

tum aperuit, licentiamque sibi dari rogavit. Re intellecta, Archipraeses primum quidem difficiliorem se exhibuit, dein vero fiduciae matri confidens, annuit. Quare maritus abdomini vulnus (non secus, quam porco) infligit. Verum primo ictu ita feliciter abdomen aperuit, ut subito infans absque ulla laesione extractus fuerit. Quum jam undecim obstetrices, quae prae foribus stabant, infantis vagitum audirent, intrare, sed frustra, expetebant; non enim intromissae fuere, antequam fetus mundatus, vulnusque veterinario more consutum foret, quod postmodum feliciter coaluit. Eadem enim secundo gemellos enixa est. Post hos gemellos quatuor alios liberos enixa est. — Sprengel quidem Nic. de Falconiis, qui ao. 1491. vixit, primum fuisse putat, qui sectionem caesaream a se prospere factam perscriberet [13]); dicit tamen alio loco [14]) saeculi decimi sept. p. Ch. demum initio, et ao. 1610 quidem, illam operationem primam esse tentatam a Jeremia Trautmann. Quamquam igitur Sprengelio illius operationis originem in tam procul remotum temporis spatium differenti, nemo assentitur, constat tamen inter omnes, per annos fere quinquaginta post Nufferi conatum praeterlapsos, de sectione caesarea omnino silentium fuisse, quod nonnulli existimant Caroli cujusdam Stephani libro, (hic enim sectionem caesaream in modum disciplinae primus tractasse putatur) dissectione partium corporis humani inscripto, annoque 1545 in lucem edito, ruptum esse.

---

13) Pyls Repertorium Bd. 2. Berlin 1791. 8. p. 122.
14) Geschichte der Chir. Theil 1. Halle 1805. 8. p. 338.

Ambrosius Paré, qui saeculo decimo sexto in Francogallia vixit, ille nobilissimus, summo cum ardore studioque sectioni caesareae resistebat, haemorrhagias hac in operatione habebat mortiferas putabatque mulierem, quae semel sectioni caesareae subjecta vitam tamen servaret, in posterum propter cicatricem in utero relictam rursus concipere non posse. Quamquam autem ex hac opinione a Pareo proposita, multas hujusmodi operationes ejus aetate susceptas male evenisse, concludi posse videatur, ille tamen sibi non constabat, cum prosperos illos casus a Rousseto commemoratos fidei signo exornaret. Et aequalis hujus Parei fuit Franz. Roussetus, qui illum primo quidem, quum sectionem caesaream fieri posse ei persuasisset, et sibi et opinioni suae conciliavit, deinde vero iterum amisit, tum quod Rousseti commendatione illa operatio in Francogallia saepius suscepta male evaderet necesse fuit, tum quod in Roussetum libellorum multitudo appareret famosorum. Quin etiam Sacombe, qui super annos ducentos post vixit, cui propter vanam de sectione caesarea indignationem, ut infra videbimus, fides non est habenda, idcirco Roussetum sectionem caesaream tam studiose commendasse putat, quod apud Catharinam de Medici archiatri munere fungeretur, quo melius Hugenottorum mulieres tali modo interfici possent. Sic autem judicare Sacombe tantum licitum fuit; est enim liber [15]) Rousseti secundum virorum maxime celebratorum judicium non modo omnium perfectissimus, sed fortasse etiam gravissimus de sectione cae-

15) Traité nouvel de l'hysterotomakie, ou Enfantement Caesarien etc. à Paris 1581. 8.

sarea scriptus, et jure dicit Haller: egregius est labor, cordate et mascule scriptus, cujus eo saeculo nihil prodiit simile. Roussetus novem sectionis caesareae casuum feliciter peractorum mentionem facit ejusque periculum et anatomice et physiologice refutat. Etiamsi Casparus Bauhin, qui hunc librum edidit latinum, etiam sex prosperum nactas eventum sectiones caesareas adjiceret; ii tamen libelli, qui de hac re sub saeculi decimi sexti finem scripti sunt, maxima ex parte famosi probrorumque referti sunt, nisi Julium Caesarem Aurantium excipias, qui ao. 1595 sectione caesarea gravidae mortuae adhibenda infantem adhuc vivum ad lucem protulit. Quod autem ad Jacobum Guillemeau attinet, etiam in hunc numerum referendum, etiamsi egregia de arte obstetricia praecepta illustraret unusque de nobilissimis chirurgis tunc temporis esset, is tamen esse non videbatur, qui eam operationem tenere potuisset amplam, quae et undique impugnata est, et ab eo ipso quinquies in vivis tentata male evenit. Ex qua re collegit quidem hanc operationem nunquam feliciter evadere posse, dixit autem, si mater mortua esset, illam esse suscipiendam; in mortuis enim sese eam saepe felici cum successu suscepisse.

Quamvis igitur valde haec de sectione caesarea iniqua opinio permanaret, haec tamen operatio, quum omnino ars obstetricia progrederetur, et ipsa melius illustraretur necesse fuit, quam initium saeculi decimi sexti spem porrigeret. Hieronymus ab Aquapendente neque multo post Rodericus a Castro Lusitanus, qui etiamsi artis obstetriciae non peritus sectionem tamen caesaream in vivis adhibere copiose docuit, et Fabricius Hildanus Helvetius ii sunt, qui initio saeculi decimi septimi de arte obstetricia

praecepta sua divulgarunt, atque contra hujus artis negligentiam omni vi operaque contenderunt. Quin Hildanus etiam uxorem et docuit artem obstetriciam et hominum amore adductus exercere jussit, atque Jeron. Mercurius, (secundum alios Scipio Mercurius) cujus liber tam mirabilis, quam vita erat prodigiosa, sectionem caesaream omnino commendat, ac narrat aetate sua ao. 1604. hanc operationem in Francogallia tam fuisse vulgarem, quam in Italia venaesectio in cephalalgia usitata esset, ipseque casuum prosperorum mentionem facit. Initio saeculi decimi septimi in Italia jam communis fuit mos, medicos ad partus advocari, quod in Germania longe secus erat. Hic enim, ut ceterarum litterarum scientia, sic omnino etiam ars obstetricia intra bellum annos triginta gestum lauream quandam adipisci non potuit, etiamsi studium illud, quo in Francogallia sectionem caesaream introducere studebant omnino in Germaniam non salutare influere non posset. Mich. Doering [16]) qui librum in sectionis laudem caesareae scripsit, et Daniel Winkler [17]) soli sunt, qui eo tempore in Germania sectionem caesaream commemorarunt.

Franz. Mauriceau Francogallus, qui sub saeculi decimi septimi finem in Francogallia magnam sibi comparavit laudem, de sectione caesarea omnium maxime indignabatur, embryotomiam autem

---

16) De herniae uterinae atque hanc iusto tempore subsequentis partus caesarei historia. Wittenberg 1612. 4.

17) Animadversiones de vita foetus in utero. Jena 1630. 4.

commendabat. Dicit enim [18]): se non intelligere cur vir rerum peritus in partu editu difficili infantem, sive mortuus sit sive vivus, vel integrum vel discerptum extrahere non possit, neque maxime inhumanum neque crudele (quale sit sectionem caesaream, dum mater vivat, suscipere) factum committens: se neque ecclesiaticum neque civilem nosse judicem, qui matrem tam diu divexare cruciareque jubeat: mortem matris etiam secundum praeclarissimorum virorum judicium sequi necessario. De Guillemeau porro dicit: se laudare eum si de hac mortifera operatione loquatur, fateturque omnes, in quibus illa adhiberetur, mortuas esse mulieres. Magnum ventris vulnus uterique haemorrhagia periculosissima ei esse videntur. Si autem verum sit, pergit ille, semel mulierem ab hac operatione vitam sibi vindicasse, voluntatem fuisse dei omnipotentis manifestam, quippe qui, si libeat, etiam mortuos in vitam revocare naturaeque ordinem funditus evertere possit. Sectionem caesaream in mortuis statim post matris animam exspiratam suscipi jubet; ad hoc perficiendum lineam albam aptissimam esse putat, cultremque, quem ipse imagine expressit, peculiarem commendat.

Cujus Mauricei aequalis fuit Cosmus Viardel, artis obstetriciae peritus, qui semel tantum sectionem caesaream in mortua exercuit et de cujus opere [19]) dicit Mauriceau:

Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademtum.

---

18) Der Schwangern allerbeste Hülfleistung etc. a. d. Franz. Nürnberg 1681. 8. p. 413.

19) Observations sur la Partique des Accouchemens naturels etc. à Paris 1671. 8.

Sub finem hujus saeculi multi viri vixerunt, qui etsi in numerum in arte obstetricia nobilissimorum temporis sui referendi, sectionem tamen caesaream adhibere propter vitae periculum cum ea necessario conjunctum nefas esse putarunt. Huc prae ceteris numerandus est Philippus Peu, qui de arte obstetricia quidem librum [20]) scripsit praestantissimum, a sectione autem caesarea sic abhorruit, ut etiam in dubiis foetus mortui signis forcipe hunc extrahere quam illa operatione uti mallet. Cornelius de Solingen, chirurgus artisque obstetriciae peritus Hollandicus, et ipse sectionem caesaream prorsus repudiat, et nunquam in eum casum incidi posse putat, ubi illa operatione uti necessarium sit; hoc autem ex eo concludit, quod mulierem quandam post sectionem caesaream adhibitam rursus per vaginam partum edidisse historia narrat. Quin Sam. Jansonius, et ipse chirurgus Hollandicus artisque obstetriciae peritus, ne in mortuis quidem hanc operationem probat, quum foetum certe non diu matris superstitem esse posse existemet.

Hi adversarii, quos undique se congregasse videmus, cuique haec observanti eo magis admirandi sunt, quum eo tempore primum ars obstetricia, et societatum doctarum conditione et criticorum librorum editione, in universum progrederetur, deinde sectionem caesaream aliquando male evenisse rarissima esset fama (etiamsi fallaci tantum pudore impulsi silentium tenerent). Notus contra est magnus scriptorum numerus, qui nobis quam prosperos eo

---

20) Le Pratique des Accouchemens à Paris 1695. 8.

tempore illa operatio habuerit successus referunt. Huc Philippus Hoechstetter, Nic Blegny, qui sectionis caesareae laudationem scripsit atque duos casus felices commemorat, Steph. Blancard, qui simul quomodo sectio caesarea suscipienda sit docet, Joh. Fehr, Gottfr. a Lankisch multique alii pertinent. Dionysius Van der Sterre medicus Hollandicus, in libro [21]) qui est contra popularem suum Sam. Jonsonium scriptus, de sectione caesarea in praegnantibus mortuis adhibenda instat, quin has, si jam humatae sint effodi necesse esse putat; nam ait multa esse exempla, quae partus, etiam multo post, vivos e mortuis extractos esse satis ostendant.

Sicut igitur saeculi decimi septimi fine, ita etiam decimi octavi initio accidit, ut diversae de sectione caesarea opiniones conjungi nequaquam possent. Hujus enim operationis modo defensores studiosissimi modo acerrimi adversarii, nunc ii, qui in mortuis tantum, nunc ii, qui in vivis tantum hanc adhiberi concedunt, sententias suas aperte dicunt.

Joh. Ruleau chirurgus Francogallicus initio decimi octavi saeculi opusculum [22]) edidit de partu difficili deque sectione caesarea, quam felici cum eventu peregit, indicatione in pelvis aliquo steatomate inventa. Attamen paulo post Peter. Dionisius, Mariae Theresiae reginae Francogallicae archiater, studiosissime impedire contendit, quominus illa operatio in vivis tentaretur, quum ea omnino pericu-

21) Voorstelling der Noodzackeligheit der Kayserlyke Snee. Leid. 1682. 12.
22) Traité d'Operation cesarienne et des accouchemens difficiles et laborieux. Paris 1704. 12.

losissima illi esse videretur. Cujus de illa operatione verba haec sunt: [23]) „Cètte opération sur une „femme vivante, est absolument condamnée, et qu'il „devroit avoir punition pour ceux qui servient assez „téméraires pour la hasarder, parcequ'il ne doit pas „être permis d'égorger une femme impunément."

Asphyxiae porro nullam hahet rationem sed statim post animam matris exspiratam ventrem dissecari jubet; putat enim, id quod omnibus fere tunc exploratum esse videbatur, infantem paulo post matris mortem decedere, quumque paulisper sectio differatur, infantem mori non baptizatum. Qua propter artis obstetriciae exercitatorem ad baptismatis actionem discendam admonet, ut ipse, si necesse sit, illud perficere possit.

Guilh. Manquest Francogallus, etiamsi pelvim angustam sectionis caesareae indicationem esse credat, dicit tamen per annos quadraginta, quos munere suo fungeretur sese nunquam sectionem caesaream instituere opus habuisse: hoc autem, quum omnino in parturientibus sese crudeliter gereret, haud quaquam nobis admirandum est.

Quum vero praecipue sacerdotum ingenium eo pervenisset, ut mares ad instituta obstetricia adire prohiberentur feminoque tantum generi liceret (velut Parisiis et Argentinae), quumque in Britannia atque Hollandia nullum adhuc istiusmodi institutum reperiretur; mirum nobis esse non debet, quod ars obstetricia tunc temporis non magnos adepta est progressus, id quod eo magis eoque diutius male eve-

---

23) Traité général des accouchemens. Paris 1718. 8.

niret, si non ille forceps innocens ao. 1723 a Joh. Palfyn inventus huius nunc non amplius crudelis scientiae amorem pervulgasset. At vero nihilominus in Germania, Italia Britanniaque opinio illa praejudicata, ex qua nullus vir ad partus advocabatur, adhuc diu rata permanebat. Quocirca etiam semper in Francogallia sectio caesarea maxime vigebat. Jac. Benign. Winslow hujus operationis, qui feliciter evenit casus memorat, omnino sectionem caesaream instrumentorum mortiferorum usui praefert. Praeterea omnia instrumenta, quibus foetus dissectus excipitur, prorsus repudiat. Franz. Simon, et ipse Francogallus qui plurium sectionis caesareae felicium casuum mentionem facit, et semel sese ipsum illam suscepisse narrat et omnino usque ad aetatem suam, annum 1741, sectionem caescream in Francogallia septuagies peractam esse dicit. Jacob. Mesnard chirurgus artisque obstetriciae peritus, in libro quodam sectionem caesaream defendit atque instrumentorum ad hanc operationem aptorum imagines dedit. J. Besse, ubi partus difficilis ac desperatus, tentandam esse sectionem caesaream dicit, praecipue in nimiis pelvis angustiis inque hydrocephalo.

Sic qnidem res se in Francogallia habuit, quod in Britannia longe secus erat. Fielding Ould Britannus, qui artem obstetriciam in Francogallia se vivente multo magis floruisse quam in patria sua, fideliter profitetur, sectioni caesareae injuste resistebat. Quod idem Huwe, qui omnem fere instrumentorum secantium in arte obstetricia usum repudiat, et Rich. Manningham judicarunt.

Quod autem ad Germaniam pentinet, etiam pauci requiruntur frustra, qui tunc temporis illam operationem vel in laudem vel in vituperationem

memorent. Inde autem ab ao. 1747, quum post vectem Roonhuysianum pervulgatum instrumenta secantia rarius rariusque essent in usu infantisque vitae omnimodo parci coeptum esset, quis est, qui omnes de sectione caesarea suscepta litteras traditas enumerare possit?

Haec tamen operatio ut semper, sic eo tempore plerumque in Francogallia suscepta est. Baudeloque casus centum undecim inde ab anno 1750 usque ad 1807 evenientes commemorat horumque quadraginta septem feliciter matribus evasisse narrat*).

Et medio saeculo decimo octavo sectio caesarea ab omnibus fere eruditis populis, etsi non ab omnibus frequenter suscepta, certe tamen non prorsus repudiata esse videatur. In Hollandia tunc temporis Cornel Plevier, in Francogallia Levret, in Britannia

*) Nota. Casuum prosperorum ad infelices relatio a diversis scriptoribus diversa indicata est. Baudeloque ipse (v. Siebold's Journal f. Geburtsh. etc. Bd. 3. p. 1.) prosperorum ad infelices casuum relationem eodem modo, quo 1 : 10, se habere dicit. Quam nominatam relationem etiam Oberon atque Hamilton accipiunt (v. Loders Journal f. Geburtsh. etc. Jena 1800. Bd. 4. p. 709) Klein minor inter centum sedecim casus, matribus prospere accidisse nonaginta reperit. — Osiander (s. Gemeinsame deutsche Zeitschrift f. Geburtsh. etc. Weimar 1826. Bd. 1. Heft 3.) earum mulierum, quae sectioni caesareae subjiciantur, duas tertias partes hac ipsa operatione mori unamque tantum tertiam servari putat. — Nettmann (s. Diss. sist. section. caes. hist. Halae 1805. 8. p. 45) sexaginta octo casus enumerat horumque viginti septem feliciter, quadraginta autem unum male evenisse dicit. —

Joh. Burton inque Germania Kaltschmidt, qui omnes sectionem caesaream certis in casibus comprobarunt. Qui Kaltschmidt, quo nemo tunc in Germania major fuit chirurgus, duos lectu dignos libros edidit, quorum unus est de partu caesareo, alter de necessitate exsecandi foetum ex gravida mortua. Praecipue ars obstetricia in Germania florebat diversis institutis, velut Berolini et Gottingae, conditis. Roederer vir ad labores strenuus, quem Haller dicit virum brevis aevi, qui in arte obstetricia perinde ut in anatome magnam sui spem excitasset, huic instituto Gottingae director praefuit. Hic sectionem caesaream bis [24]) adverso cum eventu et semel quidem in muliere annos triginta nata, quae puella rhachitide laboraverat, suscepit.

Heinr. Nepomuc. Kranz, aequalis Roederer, quomodo sectio caesarea suscipienda sit docet, atque etiam propter nimiam infantis magnitudinem eam esse tentandam contendit. Georg. Wilh. Stein, qui Marburgi professor et illius Roederer fuit discipulus, magnam sibi comparavit gloriam et praeceptis suis et artem obstetriciam mathematice tractando et baromacrometri, cephalometri pluriumque pelvimetrorum inventione, quorum ope sectionis caesareae necessitatem praesentire voluit. Qui in pelvi tres digitos lata inque vivo et perfecto partu prae ceteris operationibus sectionem caesaream adhibere necessarium esse ostendit, atque synchondrotomiam ad sectionem caesaream vel submovendam vel compensandam nequaquam valere argumentatur. Ipse sectionem caesaream ter suscepit accurateque descrip-

24) Lucina Bd. IV. p. 87.

sit [25]), in quibus casibus matres, quarum una syphilitide laborabat, mortuae, infantes autem semper integri conservati sunt. Ostendit porro hanc operationem semper in linea alba suscipi nequaquam licere, quum ipse semel in dextro, semel autem in sinistro abdominis latere eam suscipere cogeretur. Et quia ii, quibus ad tunc temporis illa operatio perfici solebat, cultri ei non satis placuerunt, aliis a se ipso delineatis utebatur. Mortuus est ille ao. 1803, annos sexaginta sex natus

Joh. Christ. Sommer, qui et ipse Roederer fuit discipulus accuratius, quam usque ad illud tempus fiebat, pelvis axem investigavit, geminum partum caesareum descripsit inque methodum, quae post operationem adhibebatur, paullum antiphlogisticam, adversi eventus culpam contulit.

Septimo saeculi decimi octavi decennio embryologia sacra a Franz. Eman. Gangiamila edita est. Hic idem, qui theologiae in Sicilia erat doctor, et cujus in opere sectio caesarea studiose commendata, theologiae cultores ad cognitionem in arte obstetricia comparandam adhortatur, ut ipsi, si opus sit, sectionem caes. perficere possint

Germania artis obstetriciae progressu omnes civitates tunc superabat, omniumque maxime hac in terra sectio caes. vigebat. In Britannia haec scientia una cum Smellie ao. 1763 et in Francogallia simul cum Levret ao. 1781 mortuo magis magisque dilabebatur. Hac autem dilabente praecipue in Britannia sectionis caes. fastidium ita augebatur, ut,

---

25) Kleine Werke zur prakt. Geburtsh. Marburg 1798. 8. m. K.

sicut infra videbimus, usque ad hodiernum diem permanserit. Robert. Wallace Johnson, Hunteri discipulus, qui aliquid de arte obstetricia in patria sua meruit, partus dissectionem sectioni caes. praefert, atque hanc omnino in Britannia nunquam susceptam esse putat. Ex qua opinione, etsi falsa est, certe tamen raro hanc operationem in Britannia peractam esse concludi potest. Alexander Hamilton et ipse artis obstetriciae exercitator Britannicus, per nonullos annos Edinburgi quinquies sectionem caes. factam esse, et quamquam nulla in operatione vitia committerentur semper tamen matribus illam male evenisse narrat.

Omnium memorabilissima, quae permultum ad sectionis caes. interitum in Francogallia valuit, sectio fuit symphyseos ossium pubis, a Siegault ao. 1777 inventa [26]). Qui artis obstetriciae exercitator Parisius, synchondrotomia adhibita sectionem caes., quae secundum hujus opinionem multo periculosior est, supervacaneam esse putavit. Baudeloque et Lauverjat inter multos alios studiosissimi fuerunt illius operationis adversarii, et quamquam etiam Siegault, cui omnes fere ad unum applauserant, post adversos aliquos casus cognitos paulo ante mortem suam illi operationi diffidere coeperat, Alph. Leroy tamen hujus defensorem sese praebuit constantsssimum fortissimumque. Quum autem hic prae Baudeloque ni-

---

26) Sue d. J. Versuche einer Geschichte des Geburtsh. a. d. F. Altenb. 1786. 8. p. 241.
Joh. Friedr. Osiander's Bemerkungen üb. d. franz. Geburtsh. Hannnover 1813. p. 172.
Friedr. Benj. Osiander's Lehrb. d. Entbindungsk. Götting. 1799. Theil 1. p. 430.

hil valeret, ac synchondrotomia sub decimi octavi saeculi finem Parisiis in oblivionem pervenire videretur, haec in Gardien professore novum reperit defensorem, a quo sectioni caesareae praelata est; ex annis enim quinquaginta experientiam docere ille dicit, ne semel quidem neque in Hôtel Dieu neque in Maternité sectionem caes. matri feliciter evasisse.

Nono decimi octavi saeculi decennio Joh. Christ. Starke in Germania artis obstetriciae scientia mirifice excellebat. Qui professor Jenensis mulierem, quae jam bis, et altera quidem vice perforatione, difficile ediderat partum, una cum infante sectione caes. conservavit.

Sub idem fere tempus ars obstetricia quidem in Britannia valde progredebatur, sectio autem caes., ut olim, sic tunc fastidiose repudiata est. Joh. Sims enim, qui tunc temporis Londini societatis medicae fuit praeses, et sectioni caes. et synchondrotomiae in patria sua perforationem praeferri nequaquam negat; Robert Bland, qui Londini fuit artis obstetriciae exercitator rerumque peritissimus, sectionem caes. undecies, et semper quidem infelici cum eventu susceptam esse narrat. Et Fischer [27]) sibi persuasum esse dicit, neminem amplius in Britannia fore, qui sectionem caes. suscipiat; si enim linea conjugata paulo minor tribus digitis sit, ad capitis perforationem perfugi neque de sectione caes. neque de synchondrotomia cogitari; sin vero genitalia tam sint angusta ut etiam post perforationem factam partus edi non possit, contendi ut infans putredine tabe-

27) Bemerkungen über d. engl. Geburtsh. Götting. 1797. 8.

scat. Sic etiam William Dease sectionem caes. in vivis susceptam vehementer recusat, ita ut in mortuis tantum partubusque extrauterinis eam tentari permittat; synchondrotomiam autem omnino repudiat, quum etiam periculosiorem hanc esse existimet. Si autem, pergit ille, sic accidat, ut sectionem caes. suscipi accommodatum esse videatur, forcipe potius partum extrahendum esse. Quin etiam honori medicis Irlandicis id ducit, quod sectionem caes. nunquam approbarunt.

Sic etiam ejus et aequalis et collega Guilh. Osborn judicat, unus de nobilissimis Britannicis artis obstetriciae exercitatoribus. Qui synchondrotomia et sectione caesarea perforationem forcipumque usum pluris existimat, infantis autem vitam non tam caram habet quam matris; quam ob rem infantem propter matrem esse perdendam, excerebrandam dissecandamque, sectionem vero caesaream tum modo, si linea conjugata digitos ferme duos et dimidium longa est, suscipere licere arbitratur

Joh. Aitken, qui artis et medicae et obstetriciae Edinburgi erat professor, mirabilibus inventis praeceptisque famam sibi conciliavit. Voluit enim, ut sectio caesarea semper in balneo tepido susciperetur, ne aer penetrare posset; omniumque mirabilissima ab eo inventa est serra quaedam flexibilis, qua totum os pubis in amborum ramorum horizontalium et descendentium fine secaretur, ut tali modo in pelvi angusta et synchondrotomia et sectio caesarea supervacaneae haberi possent; quin etiam ossa non rursus in pristinas commissuras, sed super ambos firmatos ramos collocanda esse existimavit, ut etiam sequentibus partubus justum esset exeundi spatium. Attamen Osiander, haec Aitken scripsisse de-

lirio tentatum putat, sicut etiam ao. 1790 eodem sibi mortem conscisceret.

Sub idem fere tempus in Francogallia controversia de synchondrotomia orta tanta adhuc facessivit negotia, ut ars obstetricia non mirifice progredi posset; huc accessit perturbatio illa omnes rerum scientias opprimens, quae omnem fere melioris eventus spem deperdidit. At nihilominus Theobald. Etienne Lauverjat artis obstetriciae professor Parisius, omnium animos in se convertit quam maxime; nam hic librum edidit, in quo duorum ao. 1782 et 1787 incisione transversali tentarum sectionum caesarearum prosperus narratur eventus. Jam antea bis eam in linea alba adverso cum eventu ille susceperat, quare, quum illa operatio etiam ab aliis chirurgis per incisionem transversalem quater suscepta feliciter evenisset hanc optimam judicavit methodum *).

---

*) Nota. Apud antiquissimos scriptores de incisione laterali tantum sermo est, quae quidem, ne hepar laedatur, semper in sinistro latere fieri solet. Mauriceau illum inter musculos abdominis rectos locum commendavit, atque ab ao. 1770 — 1780 demum et Francogalli et Germani lineam albam eligere coeperant, cujus rei Deleurye, artis obstetriciae magister Parisius argumenta proposuit (v. Observations sur l'operation caesarienne a la ligne blanche etc. Paris 1779). Paulo post Louverjat ea, quae supra dicta est, methodo nova (v. Lauverjat's neue Methode den Kayserschnitt zu machen, a. d. F. v. Eysold. Leipzig 1790) publice utebatur, quam etsi ab eo feliciter adhibitam plerique tamen adhibere dubitant. G. W. Stein minor voluit, ut diagonalis ab inferioris costae fine per ventrem transversum usque ad contraria parte situm ossis pubis ramum pertinens incideretur.

Quemadmodum vero tunc temporis in Francogallia ars obstetricia in universum se habuerit, ex viventis Parisiis Sacombe placitis clare elucet, qui in arte obstetricia omnino exhibere motus, et praecipue synchondrotomiam, sectionem caes. omniumque ad artem obstetriciam exercendam aptorum instrumentorum usum evertere voluit. Qui, quamvis pelvis sit difformis, ex hac re tamen non invictum partus impedimentum exsistere posse arbitratur; quin ab omnibus, qui in instrumentorum usu fiduciam adhuc posuerunt, mulierem aliquam, in qua secundum eorum opinionem vel synchondrotomia vel sectio caes. adhiberetur necesse esset, ea conditione postulavit obstetricandam, ut, si haec non sine instrumentorum ope partum ederet, omni honori privatus esse vellet. Sed hujus Sacombe vanitas notior fuit, quam ut aliquis medicus eo uteretur. Attamen hic, quum Pelletan aliosque chirurgos tunc temporis sectione caesarea adverso cum eventu usos esse summo cum gaudio animadverteret, ao. 1797 sectionis caesareae evertendae societatem condidit, l'Ecole Anticesarienne nominatam, quae omnium eorum nomina, qui ipsius de sectione caesarea opinioni repugnabant, sicut Dubois, Baudeloque, Pelletan aliorumque, columnae ignominiosae insculpsit, Quum vero artis medicae societas haec insana placita publice pervulgasset, Sacombe in docendi munus suum summa cum tranquillitate recessit. Girand societatis medicae consors quidam, qui antea eandem ac Sacombe habuerat opinionem, de sectione caesarea sententiam publice mutavit, putavitque hanc operationem tum modo suscipiendam esse, si osteosteatoma quoddam pelvim angustam redderet, et linea conjugata minor uno digito esset; in aliis vero impedimentis synchondrotomiam praeoptavit.

Res porro mirabiles circa hoc tempus Joh. Lucas Boer docuit, artis obstetriciae exercitator Windobonensis, qui sectionem caesaream terribilem crudelemque appellavit eam operationem, a qua, si pelvis satis est apta ad infantem extrahendum dissectum, semper abhorrere necesse esset, quum matris vita multo esset carior quam infantis. Excerebrationem autem libentius suscepit, quare Britannos laudibus extulit, quippe qui hac in re non tam sese timidos praeberent quam Germani et Francogalli; dicitque porro in instituto a se directo inde ab ao. 1790 — 1791 ter excerebrationem, anno autem insequente ter dissectionem susceptam esse.

Fr. Benj. Osiander professor et majocomii Gottingiani director, sectionis caesareae indicationes et contraindicationes disserte tradit. Inque primis ad hanc operationem adhibendam lineam albam commendat, et tum modo quidem si spatium a margine umbilici usque ad ossium pubis marginem pertinens novem saltem digitos habeat; dicit enim vulnus sex digitos in longitudine esse necessarium, intra unum digitum sub umbilicum subjectum incidi non licere, quia hic locus sit tenuissimus postque operationem peractam non facile adhaereat, intra duos denique super ossium pubis marginem sitos digitos incisionem esse vitandam, ne vesica urinaria laedatur. Si igitur, pergit ille, in linea alba suscipi non possit, eam in loco tres digitos in latitudine remoto faciendam esse; haemorrhagiam in placenta incidenda ortam periculosam ducit, quapropter ejus situ in utero invento in huic contraria parte operationem esse tentandam putat. Incisionem illam transversalem a Lauverjat commendatam repudiat, quod hac in re semper altera arteria epigastrica necessario laedatur; multo

etiam magis illam a Stein commendatam incisionem diagonalem recusat, quippe in qua quin semper fere utraque arteria epigastrica laedatur fieri non possit. Osiander porro duos invenit cultros ad sectionem caesaream perficiendam accommodatos, cultellum incisorium et dilatativum, novaque methodo sectionem caesaream suscipere docet, qua praecipue inferius uteri segmentum exili incisione aperiatur, ex tribus his causis: prima, quod hic laesiones non tam sint periculosae, quam in superiore segmento medioque; altera, quod tali modo vulnus quinque tantum digitos in longitudine esse opus sit; tertia, quod quum ita uteri vulnus post pubis ossa situm sit, prolapsus intestinorum non facile fieri queat. Secundum hanc methodum Osiander sectionem caesaream bis, et ao. quidem 1805 atque 1806, suscepit, cujus utriusque tamen infelix eventus certe statui morboso illarum mulierum partim universali, partim genitalium peculiari adscribendus est. Atque consilium dat, ut in gravidis mortuis, anteaquam partus sectione caesarea secetur, per vaginam earum a foetu liberandarum periculum fiat; et obstetricem sectionem caesaream in gravidis mortuis suscipere edocendam esse putat, ut, si artis obstetriciae exercitator desit, ipsa eam perficere possit. Synchondrotomiam, jugulationem infantium, cephalotomiam, excerebrationem aliasque hujusmodi operationes in inutilium damnosarumque artis obstetriciae operationum numerum refert.

J, H. Wigand artis obstetriciae exercitator Hamburgianus, graves communicat observationes. Vult enim, ut illa operatio ante rupturam velamentorum spontaneam suscipiatur, ita tamen ut eodem temporis puncto, quo prima uteri incisio fiat, velamenta dividantur. Placentam per uteri orificium et non per vulnus auferendam esse putat; si porro uterus contractionibus

non in pelvis cavitatem considat, eam manu esse deprimendam, una cum Stein minore contendit.

Atque inde ab undevicesimi saeculi initio usque ad hunc diem praecipue in Germania sectio caesarea suscipitur saepissime. Nunc sane nemo fortasse est artis obstetriciae peritus, qui infantem jam mortuam esse sibi non persuadens, embryotomiam, embryulciam vel aliam quandam omnino mortiferam operationem ad matris vitam conservandam tentare ausit; quum enim omnibus ad unum fere hominibus rata esse videatur opinio, matri de partus vita potestatem non esse, mulierem operationi illi se subjicere etiam cogi licet. Neque desunt exempla, ex quibus hanc operationem in una eademque muliere saepe esse susceptam clare elucet. Sic Lorinser [28]) ao. 1802 sectionem caesaream in annorum viginti trium muliere, quae puella rhachitide laboraverat, imbecilli primumque editura partum perfecit, pelvi ita angustata, ut ab symphysi ossium pubis ad os sacrum unus tantum digitus pervenire posset; in hac autem eadem muliere conservata ao. 1804 rursus sectionis caesareae suscipiendae et felici quidem cum eventu, idem ille Lorinser occasionem nactus est. *)

---

28) Siebold's Journal f. Geburtsh. Bd. 3. Stück 1.

*) Nota. Permulta exempla sunt tradita in una eademque muliere saepe susceptam esse sectionem caesaream, etsi horum nonnullis plerique fidem non habent. H. D Dunker (v. Diss. sist. rationem optimam administrandi partum caes. Duisb. ad Rhen. 1771. 4. p. 38) medicum quendam Francogallicum Sonnium septies in uxore sua sectionem caes. suscepisse narrat, ita, ut et matris et infantis vita conservaretur. — In Richteri biblioth. chir. (Bd. 11. Stück 2.) haec leguntur: memorabilem esse illam de muliere historiam, in qua sectio caes. septies et semper quidem in si-

Quod autem ad methodum hujus operationis indicationesque pertinet, pauca modo mutata sunt. Elias de Siebold, cujus de arte obstetricia liber ao. 1804 editus est praestantissimus, maxima ex parte cum F. B. Osiandero consentit, attamen gastrographiam cum inutilem tum damnosam ducit; ao. 1813 sectionem caesaream ipse fecit [29]) in muliere imbecilli, quae juventute rhachitide laboraverat, et cujus genitalia tam fuerunt angusta, ut versio omnino suscipi non posset, praeterea ruptura uteri antea orta. Quam operationem ea, qua solebat, prudentia reique peritia intra pauca temporis puncta perfecit, matre tamen post octo dies praeterlapsos mortua infanteque servato.

Primo hujus saeculi decennio Michaelis sectionem caesaream adverso cum eventu peregit; hic idem argumentatur [30]) quanta sit utilitas ante rupturam velamen-

---

nistro latere suscepta sit, pristina cicatrice semper incisa. Haec comes de Tressan narrat, qui se mulierem quatuor dies post septimam operationem vidisse alacrem neque febre comprehensam, et eam confirmasse, illam operationem paucos admodum sibi dolores attulisse. — E. B. Osiander (v. Antwortschreiben auf die Fragen des Dr. David in London) num sibi casus de sectione caes. saepe in una eademque muliere suscepta, fide digni noti essent interrogatus respondit, unum esse exemplum certum, quod in Helvetia sectio caes. ter in una muliere suscepta sit, et primum quidem ao. 1797, deinde 1801 tertiumque 1805, post quam ultimam mortua sit. — Cui simile exemplum Thomas Bartholinus memorat (v. de insolitis partus humani viis Hafn. 1664. 8.), qui Parisiis mulierem quandam se vidisse confirmat, quae sectione caesarea ter feliciter perfungeretur. —

29) Siebold's Journal f. Geburtsh. Bd. 1. Stück 2.
30) Lucina Bd. V. p. 87.

torum spontaneam operationem illam suscipere, quamque injustum sit suturam cruentam contemnere, quippe quae melior sit sutura sicca. Quod autem vult, ut ad sectionis caesareae periculum vitandum totus uterus praegnans exstirpetur, haec a scriptoribus prodigiosa habetur sententia, etsi Ritgen hanc operarionem non omnino esse repudiandam putat.

Multi et feliciter et male peractae sectionis caesareae casus primo secundoque decennio narrabantur, qui eo, quod etiam minimam in hac operatione utilitatem animadvertere omnibus erat curae cordique, in eum, quem nunc tenet, gradum sectionis caesareae ferendae occasionem dederunt. —

De arte obstetricia praeclarissimi illustrati sunt libri, praesertim a F. B. Osiandero, cujus de sectione caesarea sententias jam supra commemoravimus, et a Lud. Friedr. de Froriep, qui nullo modo, ut plerique, sectionem caesaream artis obstetriciae nominat opus artificiosum, quum hujus operationis eventus a fortuna pendere arbitretur, Qui idem matri periculosam quidem sectionem caesaream esse operationem putat, dicit tamen, interdum casus existere posse in quibus, si et matrem et infantem certae exponere morti nolimus, illam operationem non modo synchondrotomia sed ne aliis quidem operationibus compensare licere. Locum porro incisionis secundum rei statum praesertimque secundum partus atque uteri situm eligendum esse censet; sectionemque caesaream in mortuis gravidis etiam totum diem post matris mortem suscipere eamque, quae nominatur, hysterotomiam vaginalem in induratione vel scirrho orificii uteri vel ejus atresia commendat. Vult porro, ut uteri orificium incidatur incisioque digitos duos et dimidium per uteri substantiam aut a fronte ad tergum aut a tergo ad frontem aut transverse perducatur. In orificii autem atresia incisionem per conjugatam ducendam tumque etiam sectionem transversam faciendam esse putat, ita ut vulnus quatuor loborum, crucis formae simile, existat. Quam methodum neque cum periculo neque omnino fere cum ulla haemorrhagia conjunctam ducit. —

Hoc eodem decennio etiam Ferd. Aug. Ritgen opus edidit [31]), quo, ut jam ex inscriptione elucet, operationum ad artem obstetriciam pertinentium et indicationes et contraindicationes continentur. Ille sectionis caesareae, si in corpore uteri suscipiatur, periculum ducit grave, cum propter abdominis integumentorum uterique vulnus necessario oriens, cum propter peritonaei disjunctionem, per quam facilem in modum aer in intestina penetrare possit, tum ob uteri vulneris conjunctionem difficilem, quam mors insequi soleat. Gastro-hysterotomiam vaginalem contra, quam Joh. Christ. Joerg commendavit, paullulum ille modificavit neque periculosam esse censet, propterea quod peritonaei cavitas non aperiatur, itaque aer in intestina penetrare prohibeatur, et portio tantum vaginalis uteri laedatur. — Synchondrotomiam infanti quidem utilem, matri vero plerumque periculosam ducit, quia praeter alia periculi genera paralysis vesicae urinariae semper fere consequi soleat; attamen plures esse casus dicit, in quibus synchondrotomiam non sectione caesarea, et rursus plures, in quibus sectionem caesaream non synchondrotomia compensari liceat. Ritgen ao. 1810 hysterotomiam vaginalem in muliere triginta septem annorum, quae jam crebro facile ediderat partum, post ultimam autem graviditatem osteomalacia laborabat, ipse suscepit, ita tamen ut mater horas quinquaginta sex post operationem moreretur, infans autem conservaretur. [32])

Joh. Friedr. Osiander, artis medicae professor Gottingianus ao. 1825 librum de arte obstetricia edidit [33]), in quo sese ex ventris gravidi et vivarum et mortuarum mulierum demensionibus satis vidisse dicit, commodissimum sectioni caesareae minimeque cum periculo conjunctum locum eam lineam habendam esse, quae

---

31) Die Anzeigen der mechan. Hülfen bei Entbindungen etc. Giessen 1820. 8. m. K.

32) Gemeinsame deutsche Zeitschrift f. Geburtskunde. 1826. 8. Bd. 1. Heft 1.

33) Die Anzeige zur Hülfe bei unregelmässigen und schweren Geburten. Tübingen 1825. 8. Bd. 3. p. 198. Anm.

ubique a linea alba aeque distet, et intra nonnullos super umbilicum digitos initium capiat, neque, id quod in secunda operis sui parte contenderit, tres digitos in latitudine a linea alba remota sit. Operationem illam omnino periculosam itaque hoc tantum proverbio excusatam ducit: melius esse remedium anceps quam nullum. Si conjugata, pergit ille, tres quin etiam duos digitos terque quadrantem in longitudine sit, fieri adhuc posse, ut infans versione forcipeque servetur. Quod ad synchondrotomiam pertineat, aetate sua Dubois tantum, artis obstetriciae periti inque Maternité administratoris Parisii auctoritatem valere, qui hanc operationem saepe susceperit; plerosque autem et Germanos et Britannos artis obstetriciae peritos sectionem caesaream nullo modo hac compensari posse arbitrari.

Recentissimus, quem habemus, de arte obstetricia liber a Stein minore editus est [34]), qui, ex causa mihi haudquaquam nota, hoc in opere „der Geburtshülfe Beflissner" se nominat. In eo, quod est de sectione caesarea, capite nihil reperi memorabile, quod non jam ab aliis scriptoribus dictum sit, nisi haec: sectionem caesaream etiam suscipi posse, dum gravida in sella sedeat; spongiam porro, tres digitos longam, in uterum inferendam esse, placenta excepta ut uterus in contractionibus adjuvetur. Qui idem Fr. Benj. Osianderi methodum, ex qua per vaginam manus in uterum ducenda, caput infantis ad abdominis integumenta premendum, inque hoc modo sublatum locum incidendum sit, methodosque a Michaele, Joerg et Wigand commendatas inanes vocat vanasque. Directionem autem illius sectionis optimam ducit diagonalem. —

Sic igitur illum a me susceptum laborem, quoad ejus fieri potuit, me absolvisse putaverim, atque si non omnia, quae L. B. exspectasti, tibi reperisse videaris, ut cum difficultates in hoc proposito perficiendo occurrentes, tum hocce opusculum primum tironis esse rudimentum respicias, etiam te rogo atque etiam. —

34) Lehre der Geburtshülfe als neue Grundlage des Faches. Elberfeld 1827. 8.

Curriculum vitae.

Ego Israelis Samuelis Davidsohn die m. Maji vigentesimo tertio anni MDCCCIII Gedani a parentibus judaicis natus sum. Puer jam quatuordecim annorum patrem amisi, matris autem vita adhuc gaudeo. Ad annum usque duodecimum et hebraicis et chaldaicis litteris praecipue instituebar, aliarum vero disciplinarum prima elementa subsecivis temporibus discebam; hanc autem aetatem consecutus scholam publicam Sti. Petri et Pauli, quae tunc temporis sub cel. Grolp vigebat, frequentavi, ubi praeceptor quidam Nagel ita de me meruit, ut ejus intimo animo gratiisque quam maximis et nunc et in posterum reminiscar. Postquam hac in schola satis me praeparavi, in gymnasium itare coeperam, quod tunc sub cel. Meineke florebat, de quo viro semper cum reverentia tantum dicere audeo.

Quum autem mors mihi patrem eriperet Regimontium me contuli. Hic per annos quatuor litteris vacabam, donec die m. Octobris vigentesimo quinto anni MDCCCXXIII a cel. professore Unger t. t. prorectore magnifico in civium academicorum numerum receptus sum. Praelectionum haec fuit ratio: Docuerunt physicam et chemiam Cl. Hagen sen.; zoologiam, zootomiam, anatomiam, animalium fossilium reliquarum historiam, methodologiam medicam artemque cadaverum secandorum Cl. de Baer; botanicam tam generalem quam specialem Cl. Eysenhardt eheu! defunctus; anatomiam generalem, specialem, physiologiam, biologiam Cl. Burdach; pathologiam genera-

lem morbosque syphiliticos Cl. Sachs; materiam medicam, therapiam specialem morbosque infantum Cl. Richter; artem obstetriciam tam theoreticam quam practicam, morbos mulierum formulasque medicas concinnandi artem Cl. Henne; usum fasciarum et machinarum chirurgicarum, luxationum et fracturarum tractationem Cl. Dr. Werner; chirurgiam generalem, specialem et operatoriam nec non ophthalmologiam Cl. Unger. Praeterea lectionibus philosophicis adesse haud neglexi.

Institutum clinicum et policlinicum chirurgico-ophthalmologicum duce Cl. Unger per semestria tria, majocomium duce cl. Henne per duo semestria, policlinicum medicum duce Cl. Richter per semestria tria, clinicum medicum duce Cl. Elsner per duo semestria frequentavi aegrotorumque curam in me recepi.

Omnibus his praeceptoribus pro innumeris in me collatis beneficiis gratias ago habeoque quam maximas.

Examinibus theoretico-practicis, ad summos in medicina et chirurgia honores capessendos, superatis, veniam publice disputandi facultas medica amplissima concessit. —